

axon. II

43, 11

~~1784~~

1908

Flif. Sax. eccluf. 643.

DESCRIPTIO
LECTIIONVM
PVBLICARVM ET PRIVATARVM

QVAE

AB MAGISTRIS

QVATVOR SVPER. ORDD

SCHOLAE THOMANAE

IUVANTE DEO

H A B E B V N T V R

INDE AB EXAM. VERNO A. C. CICICCLXXXIII

VSQVE AD EXAM. VERNVM A. C. CICICCLXXXV

LIPSIÆ

EX OFFICINA SOMMERIA

Jh. 1794.



DESCRIPITIO

L E C T I O N I V M

PUBLICARVM ET PRIVATARVM

QVAE

AB MAGISTRIS

CONTRIVOR SVTERII QVOD

SCHOLAE THOMANAE

INVANTE DEO

H A B E B V N T V R

IN ANNO DOMINI MDCCLXXXIII

IN ANNO DOMINI MDCCLXXXIII

LITTEAE

EX DECISIONE COMITII





Q. B. V

Linguae Graecae tanta est praestantia, atque utilitas, ut si-
ne accurata eius, perfectaue, scientia, neque idonea La-
tini sermonis cognitio vlllo modo capi, neque ipsi scripto-
rum Latinorum vtriusque orationis libri recte intellegi, ex-
plicarique plane, possint. Sicut enim Latini, non modo
in confingendis, atque vsurpandis, verbis singulis, et pro-
priis, et translatis, formam, vsumque, Graecorum ver-
borum spectauere, sed etiam in componendis, construen-
disque, orationis partibus fere omnibus rationem, et con-
suetudinem, Graecam sequuti sunt, adeo, ut, qui Graece
indoctus sit, is causas harum rerum omnium neutiquam
videre, et reperire, possit: ita scriptores Latini omnis ge-
neris ipsi, sed poëtae tamen maxime, atque philosophi,
locos Graecorum auctorum innumerabiles, vel in linguam
* 2 suam

suam eleganter conuerterunt, vel solerter imitando expres-
 serunt, vt, qui Graece doctus reperiatur, is vim, et ver-
 borum, et sententiarum, indagatis earum originibus, af-
 sequi facillime valeat. Itaque nos, quibus nihil vnquam
 fuit antiquius, quam vt alumni disciplinae nostrae naturam,
 et dotes, sermonis Latini accurate cognoscerent, etiam nunc
 studemus omnibus modis animos eorum amore Graecarum
 literarum, vel incendere, vel inflammare, earumque studia
 adiuuare, atque incitare. Certe hoc ipso consilio inepi-
 mus nuper edere sermones, quibus Platonis dialogum, qui
 inscribitur Cratylus, superioribus annis in ludo Thomano
 explicauimus, quo magis intellegerent adolescentes ingenui,
 cum quibus, quantisque, copiis doctrinae Graecae opus
 esset ad enarrandos summi philosophi libros, tum quomo-
 do interpretes eorum in persequendis, et verbis, et senten-
 tiis, versari oporteret. Nunc autem instituemus proponere
 ex eodem illo dialogo verba singula, quae in Lexico Ste-
 phaniano, vel omnino praeterita sunt, atque omissa, vel
 non explicata, neque vllius scriptoris antiqui auctoritate
 munita, sic quidem, vt potestatem eorum breuiter expo-
 namus, quo videant discipuli laudis cupidi, vnde robustio-
 res facti petere possint argumenta libellorum, quibus eden-
 dis doctrinae grauitatem, et suae aetati, et posteritati om-
 ni, probent.¹

I. Doruillius ad Chariton. p. 674.
 Amstel: Mallem iuuenes hoc in gene-
 re industriae [collegendi verba Grae-

'Ayo-
 ca in Lexicis non notata] Specimina
 darent, quam immaturos ingenioli foe-
 rus periclitarentur.

Ἀγοραστικός *Idoneus, aptus, ad emendum, et vendendum,*
 ad faciendam mercaturam: *einer, der sich zur Handlung schickt.*
 Plato in Cratylo² Socratem ostendere iubet, nomen Ἑρμῆς
 spectare ad sermonem, et orationem, atque adeo significare,
 praeter alia, ἀγοραστικόν, hoc est, eum, qui ad mercandum,
 et negotiandum, aptus sit. Talis enim homo vel maxime
 debet praeditus esse facultate orationis, et Mercurium con-
 stat Graecos finxisse etiam mercaturae, negotiationisque,
 praesidem esse. Ficinus hoc nomen perperam explicavit
 verbis *vehemens concionator*: et Stephanus illud transtulit
 quidem in Thesaurum suum³ e loco Platonis laudato, sed
 ita, ut nullum eius addiderit interpretamentum Latinum.

Ἀμετάστροφος est, auctore Stephano,⁴ *conuersionis, et*
mutationis, expers, immutatus, seu immutabilis, ἀμετάτρο-
πος: sed hunc vocabuli usum nullius scriptoris auctoritate
 confirmavit. Apud Platonem vero in Cratylo τὸ ἀμετά-
 στροφον legitur ita, ut sit *firmitas* corporis, et animi, quum,
 neque corpus, neque animus, cedit, quum, neque corpus,
 neque animus, in aliam se conuerti partem finit: quam virtu-
 tem existere e duritie, alioque vocabulo τὸ ἄρρατον appellari,
 Socrates eodem illo loco docet.

Ἀναθρέω, ὦ, *Perspicio, attente considero.* Ita interpre-
 tatus est hoc verbum Stephanus,⁵ laudauitque locum Thucy-
 didis⁷ hunc, τὰ ἔργα ἐκ τῶν λόγων ἀναθρέμενα* ubi glos-

2. C. 23.

3. To. I. p. 28. B.

4. Thes. To. 3. p. 1098. F.

* 3

5. C. 23.

6. Thes. To. I. p. 136. G.

7. 4. 87.

fam



sam ἀναδρόμενα ait ab scholiasta explicari verbis Φανερά γινόμενα. recte. At primum illa ipsa glossa, ex eodem Thucydidis loco sumpta, in Lexico Suidae, ex quo eam Phaurorius quoque petiit, rectius participio ἀνασκοπόμενα explicata extat: deinde Stephanus nullum ullius scriptoris attulit locum, cuius auctoritate verbo ἀναδρεῖν eam, quam ipsa tribuit, potestatem assereret: denique debebat omnino de usu huius verbi ita praecipere. Proprie enim ad corpus refertur, ita, ut sit *suspicere*, ἀνω δρεῖν, idem, quod ἀναβλέπειν. Certe Hesychius glossam ἀναδρήσας, quae quo pertineret, nesciebam, verbo ἀναβλέψας interpretatus est, nam in libris Phaurorini, etiam Veneto, mendose scriptum legitur, Ἀναδροίσας ἀναβλέψας. Sed verbum ἀναδρεῖν transfertur etiam ad mentem, ita, ut significet *secum in animo considerare*. Atque hoc sensu ter positum comparet in eo Cratyli loco,⁸ quo Socrates docere conatus est, vocabulum hominis Graecum ἄνθρωπος extitisse e verbis ἀναδρῶν, ἀ ὀπωπε quam notationem ita repetiit auctor Etymologici M.⁹, ut verbum ἀναδρεῖν, praeeunte ipso Platone, interpretatus sit verbo ἀναλογίζεσθαι, hoc est, *secum reputare*. Nam etiam in Eusebii libris,¹⁰ ubi laudatur quaedam loci illius Platonici particula, pro καὶ ἀναδρεῖ, καὶ λογίζεται, reponi sine vlla dubitatione debet καὶ ἀναδρεῖ, καὶ ἀναλογίζεται.

Reliqua huius generis verba, quae e Cratylo notata ha-

8. C. 17.

9. v. ἄνθρωπος p. 109. 18. Syll.

10. P. E. 11, 6. p. 517. A Colon.

habemus, alio a nobis tempore, volente deo, ex aduersariis nostris proferentur. Nunc enim proponenda est, more nostro, ipsa descriptio lectionum, et publicarum, et privatarum, quibus habendis magistri scholae Thomanae hoc quoque anno studia discipulorum doctrinae liberalis cupidorum adiuuare conaturi sint.

IOH. FRIDER. FISCHERVS, *AA. M.*, *Rektor*, hora VIII. — X., diebus Lunae, et Martis, *Ciceronis* Epistolarum *ad diuersos* librum *sexturn decimum*, et orationem *post veditum ad Quirites*, interpretabitur; diebb. Iou. et Veneris, *Xenophontis* libros *Cyropaediae* explicare perget, et, diebb. Merc. et Saturni, initia, cum *rbetorices*, adiunctis, et scribendi, et dicendi, *Latine* exercitationibus, tum *dialectices*, tradere, praeunte *Ernestio*, instituet: hora II.—III., diebb. Lun. et Mart., historiam *oatholicam* V. T., *Freiero* duce, enarrabit; diebb. Merc. et Ven., *Pluti Aristopbanis* interpretationem continuabit, et *Marci* commentariorum de rebus Iesu Christi explicationem ordietur.

CAR. AVG. THIMIVS, *AA. M.*, *Conrektor*, hora VII. — VIII., diebb. Lun. Mart. Iou. et Ven., initia *doctrinae Christianae*, duce *Ricardio*, docebit, sed, diebb. Merc. et Sat., exercitationes *Latine* scribendi instituet cum auditoribus classicis: hora VIII. — X., diebb. Lun. et Mart., *Ciceronis* Epistolarum *ad diuersos* librum *primum* interpretabitur, sed, diebb. Iou. et Ven., librum *undecimum*, et *duodecimum*, *Aeneidos Virgilii* explicare instituet; et, diebb.



diebb. Merc. et Sat., Secundanos *Latine* scribendo exercebit: hora X. — XI., diebb. Lun. et Mart., *Xenophontis* Oeconomicum exponet; diebb. Merc. elementa *linguae Hebraicae* tradet; et diebb. Ven. initia *rbetorices*, auctore *Ernestio*, ita proponet, vt stylum quoque *Latinum* exerceri a discipulis iubeat: hora I. — II., diebb. Lun. et Mart., librum *priorem* commentariorum *Samuelis*, et, diebb. Merc. et Ven., *Lucae* Actus *Apostolorum*, discipulis classicis interpretari perget: hora II. — III., diebb. Lun. et Mart., explanationem historiarum *Philippicarum Iustini* continuabit, et, diebb. Ven., elementa geographiae *veteris*, duce *Celario*, cognoscenda ab Secundanis curabit.

IOH. AENOTHEVS HOFMANVS, *AA. M.*, *Collega tertius*, Secundanis interpretabitur *Lucae* Actus *Apostolorum*, hora VIII. — VIII., diebb. Lunae, et Iou.; sed, diebb. Mart. et Merc., itemque, hora I. — II. diebb. Merc., locos *Xenophontis* commentariorum de dictis, et factis, *Socratis* egregios; diebb. Ven. eadem hora matut., et hora I. — II., *Terentii* *Adelphos*, adiunctis *Latine* scribendi exercitationibus: sed diebb. Sat. initia *arithmetices* tradet: hora I. — II., diebb. Lun. et Mart., *Ciceronis* *Catonem* maiorem explicabit. Tertianis enarrabit *Ciceronis* epistolarum *ad diuersos* librum *secundum*, et *tertium*, hora VIII. — XI., et hora II. — III., diebb. Lun. Mart. et Merc., non neglectis *Latine* scribendi exercitationibus; locos *N. T.* selectos, diebb. Iou. et Sat., hora VIII. — X.; *Xenophontis* locos, qui sunt

sunt in Chrestomathia *Gesneriana*, diebb. Ven., hora VIII.
— XI., et hora II. — III.


CHRISTI. AVG. KRIGELIVS, *AA. M.*, *Collega quartus*, ordinis tertii, et quarti, discipulos docebit initia *doctrinae Christianae*, diebus quinis, hora VII. — VIII. Sed Tertianis, hora VIII. — VIII., interpretabitur *Eutropii Breuiarium historiae Romanae*, diebb. Lunae; *Martialis* epigrammata selecta, quae sunt in Chrestomathia *Heinsiana*, diebb. Martis; *Gesneri Chrestomathian Ciceronianam*, diebb. Merc.; *Aeschinis* Socratici *Axiochum*, diebb. Iou. et Ven.; sed, diebb. Sat., stylum eisdem *Latinum* exercere iubebit. Quartanis explanabit, hora X. — XI., Epistolas *Ciceronis* selectas, diebb. Lun. et Martis; *Aesopias* fabellas, diebb. Iou. et Veneris: hora I. — II. explicabit fabulas, quae sunt in libris *Metamorphoseon Ouidii*, selectas, diebb. Lun. et Martis; *Plutarchi* libellum de educatione puerorum ingenuorum, diebb. Ven.: hora II. — III. *historiarum Heusezi* selectarum libros, diebb. Lun. et Martis; *Palaephati* fabulas, diebb. Veneris: sed hora I. — III., diebb. Merc., stylum discipulos vsurpare *Latinum* iubebit.

IOH. FRIDER. IAC. RICOBACIVS, *AA. M.*, *Collega quintus*, ordinis quarti discipulis explicabit, hora VIII. — VIII., fabellas *Pbaedri*, diebb. Lun. et Martis; fabellas *Aesopias* Graecas, diebb. Iou. et Ven.: hora VIII.
** — X.



— X. *praecepta grammaticae*, et Latinae, et Graecae, tradet, diebb. Lun. et Iou.; sed diebb. Mart. et Ven. *elementa geographiae recentioris*, et *historiae patriae*, proponet: hora VIII. — X. *stylum* eisdem *Latinum* exercere iubebit, diebb. Merc. et Sat.

PROP. Lipſiae in Schola Thomana a. d. VII. Idus Iunias A. C. CICICCLXXXIII



H. Sax H. 432

H. Sax. H. 443, 11.